

Philipp Melanchthon

**Philippi Melanthonis,|| DE MISERIIS || PAEDAGOGO-||RVM,|| ORATIO:|| Officia  
boni et fidi Praeceptoris,|| et rationem Instituendi studia || et mores puerorum  
rectiſi-||mam; cum Querela de || moleſtiis pracepto-||rum, coniun-  
||gens.||[Hrsg.v. David Chyraeus]**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1586

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1738735931>

Druck    Freier  Zugang





Cc-4447 a 1-8





7

Philippi Melanthonis,  
DE MISERIIS  
PÆDAGOGO-  
RVM,  
ORATIO:

Officia boni & fidi Preceptoris,  
& rationem Instituendi studia  
& mores puerorum rectissi-  
mam; cum Querela de  
molestiis precepto-  
rum, coniun-  
gens.



A N N O

M. D. LXXXVI.

INDVSTRIO ET FIDELI PÆ-  
dagogo, IOHANNI CHRY-  
SOLITHO, Ruthensi,

S. D.

**O**ptima & innocentissima pars generis hu-  
mani est tenera ætas, quæ donum Spiritus  
sancti in baptismo acceptum retinet, & simplici ac  
pura fide, & voce balbutiente, Dei laudes cele-  
brat. de qua Filius Dei ipse, Talium esse regnum  
cælorum, adfirmat. Et si autem in hac nature  
corruptione, & prime educationis negligentia, &  
parentum indulgentia, multi Pueri contumaciores  
sunt, de quibus præsentis Orationis querela institu-  
ta est: tamen, cum non omnes sint eiusmodi, ma-  
gnum solatium est Pædagogo, docere hæc tenera in-  
genia, quæ certum est placere Deo, ut rectè inuocent  
Deum, & deinde organa Ecclesiæ & Reipublicæ  
salutaria fiant. Cum igitur tu quoq; in hac, Pue-  
rorum ingenia & mores teneros formandi, mili-  
tia, Deo grata, & Reipublicæ utili, verseris:  
mittere ad te hanc Orationem volui, quæ ratio-  
nem regendi studia & mores puerorum utilissi-  
mam præscribit, et simul de molestiis cum hac mili-  
tia coniunctis queritur, quas scio te, magno & ex-  
celso animo, ut Christi militem decet, perserre.  
Semper enim iuxta unum bonum duo mala Deus  
distribuit hominibus, sed pijs ac prudentes bona foras  
proferunt & ornant, mala vero tegunt & dissimu-  
lant. Benè vale. 30 Ianuarij.

DE MISERIIS PÆDAGOGO-  
RVM, ORATIO.

**N** Aesopi apologis queritur apud Iouem asinus de suis æruminis, quotidianis se operis confici & enecari. sed est querela paedagogorum de suis miserijs iustior profecto, si res ad calculos reuocetur, quam asini. Quis enim vlo in pistrino asinus tantum mali pertulit, quantum mediocris paedagogus in uno atq; altero docendo, tum laboris exhaustus, tum molestiae perpetitur? Quo in genere vitae, quia mihi aliquandiu versari contigit, & experiri quam sit calamitosum: libuit in praesentia de paedagogorum miserijs dicere, & communia mala nostri ordinis deplorare. Est enim quædam in malis voluptas, libere conqueri, sicut Ouidius ait, cum scripsit:

*Expletur lachrimis egeriturq; dolor.*

Proinde cum alios aequis animis de alienis negotijs dicentes audiatis, & mihi quæso meam agenti fabulam, verumq; dolem representanti, operam date. Et, si ille apud Terentium, cum dicit, hominem se esse, nihil humani alienum abs se esse, re-

A 2

et

Etè iudicauit, humanum esse alterius miseria  
affici: debetis profectò & vos vice mea  
commoueri, & querelam meam patienter  
audire, mihiq; veniam dare, sicubi diuitius  
iusto in commemorandis malis nostris com  
morari videbor. Nam vbi dolet, aiunt, ibi  
manum quisq; habet. Ego cùm per inopiam  
ingenij sentirem me nil huc adferre posse,  
quod magnopere delectaret: & me quotidie  
vitæ consuetudo huius argumenti ad  
moneret: gessi scilicet meo dolori morem,  
& hanc materiam sumpsi pro virili tractan  
dam. Ex qua equidem non ingenij laudem  
sed in hac carnificina quædam eurarum so  
latia captabam. planè mihi requies, non fa  
ma petita est. Nec me sinebant hæc mala  
diligentius elaboratam orationem huc ad  
ferre. Sed dum dolori obsequor, sine ordine  
incondita pleraq; effudi, idq; condonabitis,  
opinor, mihi facile, si qua miseratio mei  
tanget. Neq; enim vacabat animo, sic o  
cupato, verborum habere accuratiorem de  
lectum.

Sed exordiar aliquando causam, quam  
animus meminisse horret, luctuq; refugit, &  
querar apud vos de conditione Pædagogo  
rum, quo genere hominum nulli mihi, ne  
qui-

quidem in ergastulis, videntur infeliores.

Primum enim, cum traditur paedago-  
go puer docendus, & ad humanitatem  
ac virtutem informandus, videte quæso  
quam duram prouinciam, plenamq; miser-  
rimi laboris ac periculorum capiat. Non  
antè matura ætas pueri videtur ut mittatur  
in ludum litterarium, quam cum domestica  
indulgentia corruptus est, & vitia tum in-  
telligit, tum degustauit. is non modò nul-  
lum amorem literarum aut admirationem,  
sed acerrimum erga illas odium, contem-  
ptum præceptorum, turpisima exempla  
domo adfert. Cum eiusmodi monstro præ-  
ceptorи decertandum est. Si doceas, pere-  
grinatur animus pueri, & ut optimè succe-  
dat, sexcenties idem inculcandum est, dum  
illi inuito hæreat in animo. cum paululum  
modò despexeris, rursus ex animo illa om-  
nia toties decantata puero effluunt. Si red-  
dere cogas quæ didicit, tum verò videas  
planè ludibrio haberi præceptorem. Nam  
puero, ut est contumacia, voluptas est ad-  
mississe aliquid, quod vrat & exerceat præ-  
ceptorem.

Si quis cogatur docere camelum saltare,  
aut asinum fidibus ludere, nonne illi

egregiè miserum dicas, qui frustra maximum laborem sumat? At id tolerabilius est, quām nostros pueros docere. Nam vt nihil promoueas in camelō aut asino exercendo, certè illi nulla iniuria cumulant molestiam. At isti belli pueri, cūm strenuè defatigārunt nos, quām sunt insuper in nos contumeliosi? Inuenias qui palam ausit conuitum facere præceptorī, & manus auriculas imitatur mobilis albas. Et eiusmodi mores domo ad præceptores adferunt, nihilo reuerentius antea parentes tractauerūt, quām nunc magistros tractent. Et paulatim vertit in natūram mala consuetudo, vt corrigi & emendari hæc vitia nunquam possint. Quid est si non hæc est miseria, perpetuis curis ac labore in docendo frustra consumi & enecari? deinde pro tuis meritis etiam ludos deliciasq; & quidem puerο fieri?

Pingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in aduersum montem voluere, quod tamen è summo iam vertice rursum labitur & plani raptim petit æquora campi: Significariq; scribunt eo commento, irrito labore multos mortales confici. Mihi multò clarius repræsentari videretur inanis opera, si pingeretur ibi pædagogus cum eiusmodi

puero

puero; qualem paulò antè descripsimus.  
Quantò enim maius negotium est pædagogo  
quam Sisypho? nec tamen maius operæ  
precium fit. Illius in versando saxo simplex  
labor est & cura vacat, pædagogi vide mihi  
quam multiplex negotium fit.

Nunquam nisi coactus à præceptore pu-  
er librum in manus sumit, ubi acceperit, o-  
culi atq; animus expatiantur. Ibi tamquam  
calcaria addenda, quæ admoneant officij.  
Enarrat aliquid præceptor, iam illi delica-  
to somnus obrepit, & securus in vtramq;  
aurem dormit, dum se pædagogus dicendo  
rumpit. Nouum ibi negotium fit pædagogo  
expergesciendi discipuli. Dictata repetua-  
tur, experrectus adolescens iubetur adiucere  
animum ad ea quæ traduntur, verūm non  
est cura Hippoclidi, foris est anitmus tan-  
quam in alio mundo, in ganeis, in alea, in  
perniciosi sodalitij ludis. Tantum abest, vt  
meminisse aliquid studeat, vt eam legem,  
quæ de conuiuijs extabat apud Græcos,  
*μισθίωνα συμπτῶν*, ipse de scholis  
latam putet, & incisam non in æs, sed inscul-  
ptam animo circumferat *μισθίωνα μεγάτων*. Itaq; si postridie dictata reposcas  
quia perfluxerunt aures omnia, nil tenet.

A 4

Ibi

Ibi magistro redit labor actus in orbem.  
Orditur pristinam cantilenam , nec semel  
repetit, donec isti trunko vnum atque alte-  
rum verbum infligatur. Quis est tam cornea  
fibra, qui non stomachetur , tantum operæ  
se perdere , præsertim cum interea & vale-  
tudinis iactura facienda sit ? Nam atterun-  
tur & labefiunt corporis vires , non modò  
docendi labore , sed etiam cura, doloreq;  
animi, quem, quia non respondent nostræ  
diligentiæ studia puerorum , indignitas rei  
parit. Seculum in his miserijs consumitur,  
dum iste primas litteras didicerit. Nec pu-  
tet se iam defunctum esse paedagogus. hæc  
tantum nostræ Tragœdiæ præludia sunt,  
restat Epitasis multo ærumnosior.

Infinitus labor est, os puerile formare, & ad  
Latinam linguam assuefacere. Nam cum  
lingua expoliatur consuetudine bene lo-  
quendi, eamq; ad rem disertorum commer-  
cia multum momenti adferant, primùm, vt  
est negligentia, conuerrunt ex proximo .h.  
à patria lingua omnem sermonem. Latinè  
loqui , quia id difficilius erat , ne quidem  
conantur. Deinde quia sui similibus dele-  
ctantur, eruditorum commertia procul fu-  
giunt. Apud vnum præceptorem Latino  
sermo-

sermone vtendum est, ad quem cùm ven-  
tum est, Dij immortales, quale spectacu-  
lum committitur? Puer aliquandiu in statuæ  
modum prorsus mutus est. Postea vbi se col-  
ligere cœperit, ac meditari verba, quia ani-  
mus perturbatus est, oculi supercilialq; per-  
uertuntur, si videoas, dicas comitiali mor-  
bo arripi. peruertitur & os velut Cynico  
spasmo fœdissimo rictu. Post vbi diu secum  
luctatus est, tandem vocem ædit. Sed ne  
deprehendatur, si quod fortè existet solœ-  
cum, stridit obscure. Quidam ingeniosi sunt  
in prostrema syllaba & casu dictionis obru-  
endo, ne percipiatur. Iubet præceptor clara  
voce pronunciare, ille iterat & verba caden-  
tia tollit. Exaudit iam præceptor, sed nihil  
nisi verborum portenta. Nec autores, qui  
præleguntur, redolet sermo, nec cum Gram-  
maticis præceptis conuenit. Hic demum  
sentit se verè miserum esse pædagogus.  
Nam cùm ex studijs puerilibus non aliis  
fructus petatur, quam ut expedite loqui pos-  
sint, hic videt sibi operam et oleum in dicen-  
do perire, in tam prodigiosa discipuli in-  
fantia. Sed quantæ difficultates exorbendæ  
sunt, dum huic vitio mederi studet? Dissi-  
mulandus ei dolor animi, iracundia reprî-

A 5 menda

menda est, comitate puero perturbatio ani-  
mi sedanda, blandè inuitandus est ad lo-  
quendum. Sæpe trahendi longius de indu-  
stria sermones, ut consuetudinem Latinè  
loquendi puero faciat.

Hæc vna res cùm plus satis adferat mo-  
lestiæ, tamen multò magis exercet præce-  
ptorem Stylus, quem, ut Latina lingua fiat  
puero familiaris, adhibendum esse videt, ut  
vsu scribendi confirmatus tutò loqui possit.  
Non enim vnum remedium ad excutien-  
dum istum veternum puerilibus ingenijs  
satis est. Sed cùm nihil perinde ad paran-  
dam quām vberimam sermonis copiam  
conducat atq; assiduus stylus, non alium la-  
borem tamen perinde recusant suscipere  
atq; scribendi. Nihil est opus h̄ic recensere  
causas: Etenim nota vobis natura homi-  
num nostrorum. Immane quantus labor est  
perpellere, vt vel toto semestri vnum Epi-  
stilion scribat? Ego verò comperi non ali-  
am crucem nobis esse acerbiorem, quām  
cum istis cessoribus quotidie rixari, cum  
officij monentur. Neq; verò vnquam cogi  
potest, vt vnum versum scribat, nisi præce-  
ptor adsideat, distet argumentum, suppedi-  
tet verba. Iste cum inueniendi cura vacat,

tum

etum ægrè dictata excipit. Serò hac consuetudine eò promoueris, [vt suo Marte conetur scribere, si tamen vñquari conatur. Nam illum crede virgula diuina ad virtutem incitari, qui vel serò per se se conatur aliquid componere. Quis non malit in pistrino molere, quām hanc tam molestam plenamq; stomachi prouinciam gerere?

Sed fac istum tandem cœpisse scribere, plurimum operæ in Emendatione scriptorum ponendum est. Est enim sceleratus præceptor, qui in hac re cessat, si Horatio credimus, qui negat bonum virum esse, qui cùm censor fiat alieni scripti, vitia non reprehendant. Est enim notus versiculus,

*Vir bonus et prudens versus reprehendet incertos.*  
Primùm autem in corrigendis sermonis vi-  
tij, oculatus præceptor non simplicem la-  
borem sumit, dum Grammatica errata mu-  
tat, dum obscure & ambiguè dicta perspicue  
explicat, dum impropria corrigit, dum hor-  
ridis addit nitorem, & figuris illuminat, &  
gratiiora blandioraq; facit. Porrò releggere  
inepta scripta puerorū molestum est quam-  
uis patienti præceptorī, quanto magis e-  
mendatio fatiget? præfertim cùm plerumq;  
ratio etiam cur quippiam mutarit, indican-  
da sit.

da sit, Tum castigandi acrius qui negligenter  
tius scripsere, hortandi alij ut incepsum  
cursum yrgeant. Neq; verò tantum sermonis  
vitia monstranda sunt, sed in his qui  
iam nonnihil promouerunt, rerum etiam  
habenda ratio, & voluntates regendae.

Quosdam enim conuitia delectant, in alijs est ridicula vanitas, & inanis iactantia,  
& ferè mores stylus arguit. Hæc vitia cum  
vires accipiunt, nec è teneris animis euel-  
luntur, hærent in senibus summa cum turpi-  
tudine. Expendite quæso, quanto labore  
constent hæc mediocribus præceptoribus,  
vel si dociles habeant discipulos. & tamen  
nostris ferè aut ingenia defunt, aut deest  
voluntas discendi.

Duplicatur autem labor, cum summa vi-  
ad officium cogendi sunt. Nam ut in acie  
parum fœlix Imperator, si milites habeat  
primum ignauos, deinde quos non pudeat  
fugere, postremò qui non obtemperent, sed  
pugnent iniussi, locum capiant ex suo arbi-  
trio, non seruent ordines: Etenim apud  
Thucydidem egregius quidam Imperator  
dicit ad bene pugnandum requiri, ut velint  
milites, ut fugere pudeat, ut obtemperent

Impe-

Imperatoribus: Ita in hac scholastica militia miserrimis curis præceptor conficitur, cum docendos suscepit, qui primùm non flagrant vlla cupiditate discendi. Nihil enim in omni vita egregium effici potest, nisi animus studio eius rei, quam affectat, ardeat, & ad eam magno quodam motu, atq; impetu rapiatur. At nostri turpiter frigent in discendo, nec accendi vila ratione possunt, magis cogi volunt tanquam pecudes. Deinde nec laudis amore, nec pudore extimulantur.

Porrò cùm hominum naturæ propriè pudor insitus sit, quid esse nostros pueros dicam, quos adeo non pudet inscitiae? ego verius monstra hominum dixerim, quām qui mutilis membris aut cæci nascuntur. Est enim leuius malum, mutilo pede esse, quām humana mente carere. Iste enim simpliciter humana specie beluinas mentes tegunt. quos in re turpissima flagitiofissimaq; sui nihil pudet. Postremò nunquam quisquam tam fœlix præceptor fuit, cui ita obtemperarit discipulus, vt præscriptam discendi rationem secutus sit, vt ad hos authores euoluendos alligari se passus sit, in quibus eum solis versari atq; commorari, tanquam

quam domi suæ præceptor volebat, vt ad  
tempus scripta absoluere, vt ea quæ edidi-  
citur statis horis memoria repetuerit, vt ser-  
mone castigatiore aptid sodales usus sit.  
Nostri quidem nihil horum præstant, in  
carcerem se includi citius patientur, quam  
in uno authore detineri. Varietas grata est  
illi ætati. Itaq; varia, sed plerunq; de-  
teriora legunt, si tamen aliquid legunt. Iam  
fodere malunt, quam memoriā aut lin-  
guam exercere. Sic sunt pueri in genere,  
alij magis, alij minus ignavi. Nam etiam-  
si quis indole generosa est, tamen ea ætate  
parum in animis roboris est. Et quem-  
admodum longus labor est infantium cor-  
pora firmare, gestando, alijsq; mollibus ex-  
ercitijs, sic infantia ingeniorum non nisi se-  
rò curatur, postquam diu summa comitatē  
docueris & adsuefeceris, nec aliter tractā-  
tis atque suos alumnos nutriculæ tractant.  
In tanta inertia istorum, cogitate quid ani-  
mi præceptori sit, nimirum idem quod Im-  
peratori, qui abiecta victoriæ spe, intelligit  
hosti, salutem, tum suam, tum patriæ, scelere  
exercitus sui proditam esse. Consumitur à  
acerbissimis curis, videns tam male locari  
grauissimos labores in iuuentute forman-  
da.

Dixi

Dixi haec tenus de ærumnis, quas in do-  
cendo tantum perferimus, restat altera offi-  
cij nostri pars longè difficultior superiori, cu-  
ra regendorum morum. Quid ibi mali  
non videt præceptor? Primùm ætas illa  
natura ad vitium propensior est. Et Pla-  
to scripsit, nullam beluam intractabiliorem  
esse puerο. Itaq; tantopere sudabit præce-  
ptor in regendis his, qui domi summa di-  
ligenzia parentum ad religionem & ad bo-  
nos mores instituti sunt, ut leonem aut vi-  
sum experiatur facilius posse gubernari  
quam hos. Et tamen in scholas quotquot  
ferè mittuntur, pessimos mores, turpissima  
exempla domo adferunt, ut refingendi sint  
de integro. Est autem difficilius, praua,  
quæ semel insederunt, dedocere, quam re-  
cta docere. Scitis enim Musicum illum ge-  
mina mercede docuisse, qui ante sub alijs  
magistris malè assuefacti erant. Pugna-  
mus, ergo cum ingeniis puerilibus, quæ per  
se serocissima sunt, præsentim in Ger-  
manis & domestico vſu corruptis. Videte  
enim istos bonos parentes, quorum multi se  
Euangelicos vocant, cùm in ea atate pri-  
ma esse tradendæ religionis cura debeat;  
hi ne quidem sacras preces, Decalogum &  
hoc

hoc genus alia domi docent, pleriq; paren-  
tes contemptum religionis docent.

Tam corruptum hoc nostrum seculum  
est, vt iure possis dicere, deceptum esse  
Satyricum, cùm dixit:

*Nil erit ulterius quod nostris moribus addat  
Posteritas. Omne in præcipiti vitium stetit.*

Neq; enim dici potest, quanta accessio  
scelerum omnis generis, nuper adeo ad ve-  
tora vitia facta sit. Domestica disciplina pe-  
riit, quæ tamen nobis pueris erat medio-  
cris. Magna diligentia domi tradebantur  
elementa pietatis. Nunc alia res est, ride-  
ntur sacra, eamq; summam sapientiam du-  
cunt. Et quia Dei metus exemptus est ani-  
mis puerorum, ruitur in omnia vitiæ, quo-  
rum ego iam memoratione non delector.  
Proinde cùm in scholam ventum est, necesse  
est sumi in docendis primis pietatis gym-  
nasmati operam. Sed quid discerent infecti  
ante impijs opinionibus? Sed vt me-  
diocriter succedat, tamen in officio retinere  
quantus labor est? domi retinere, arcere à  
corruptis sodalibus, à ganeis, ab alea, &  
reliquis similibus? Hoc qui potest, illum  
ego non hominem, sed planè Deum quen-  
dam

dam coelitus in terras publicæ salutis causa  
delapsum esse pronunciauero.

Mille artes excogitant pueri, fallendi  
præceptoris. Et in pluribus tantus furor est,  
vt palam contemnant imperium. Quia e-  
nim à literis perpetuæ feriæ sunt, ocium &  
docet & alit vitia. Est enim verissima sen-  
tentia, quam reliquit scriptam Columella  
in præceptis, quæ patrifamilias præscribit:  
Nil agendo fieri, vt homines male agere di-  
scant. Iam vbi domo tanquam è carcere re-  
fractis repagulis fugerit adolescens, miserri-  
mæ curæ subeunt animum præceptoris.  
Quæ ille in fabula Mitio sibi venire in men-  
tem dicit de filio, eadem præceptorem solli-  
citum habent, ne ille vspiam ceciderit, aut  
perfregerit aliquid, aut vulnus acceperit, &  
hoc genus alia: Quare iam cogitat sibi sum-  
ma vi coercendum esse discipulum. Et cùm  
haec tenus à plagis abstinuerit, hic demum ad  
ferocitatem castigandam promuntur virgæ.  
Nam nostri homines non nisi plagi coacti,  
sicut de Phrygibus in prouerbio est, imperata  
faciunt. Hic ille miser supra tot mala carni-  
ficinam cogitur exercere, rem miserrimam,  
quæq; vel in primis noceat valetudini no-  
stræ. Nemo enim tam est à πατέρες præceptor,

B

quin

quiñ ex contumacia adolescentium com-  
moueatur , quemq; non perturbet in verbe-  
rando impetus ?

Quid iam de cura valetudinis puerorum  
dicam ? quid de sumptibus moderandis ?  
quid de rationibus sumptuum prescriben-  
dis ? quæ, ne nimis longum faciam , cogor  
omittere. Etenim

*Non mihi si centum linguae sint oraq; centum ,  
Omnia curarum percurrere nomina posim.*

Postquam præceptoris labores recensui,  
nunc videte, quæ vicissim pro his tum mer-  
ces, tum gratia redeat. Hæc verò est Tragi-  
ca catastrophe. Superiora omnia ludum &  
iocum dices fuisse, prout hæc mala sunt, quæ  
restant commemoranda.

Primum merces adeò est exigua, ut Saty-  
ricus ea de re questus , scripserit : Pœnituit  
multos vanæ sterilisq; cathedræ. Iure ste-  
rilem cathedram dixit. Nam fossorem plu-  
ris quam præceptorem conducunt. In his  
miserijs algemus, viuimus siliquis & pane se-  
cundo, & vix nos à fame defendimus. Vi-  
detis enim meam maciem , videtis ut lacer  
incedam, quem si fortuna fecisset vel bibliop-  
olam, scitis quale sit id genus, ego iam auro  
onustus incederem , tanquam aliquis Satra-  
pa.

Dein-

Deinde, summa ingratitudo puerorum  
est, qui non modò nullum se à nobis benefi-  
ciū accipere ducunt, sed neminem peius de-  
se mereri arbitrantur, quām nos. Qui nihil  
discunt, nos perinde vt literas acerrimè ope-  
runt velut suos carnifices. Quidam alij leui-  
ter degustatis literis, cùm iam aliquam in-  
duant eruditionis persuasionem, sic placent  
sibi ( nam id solet ea ætas ) vt præceptores  
nihil morentur, seq; iam ad summum fa-  
stigium eruditionis peruenisse putent, vbi ex  
alto nos despiciant. Et non modò non vi-  
dent quām curtam habeant supellestilem,  
sed ne id quidem expendunt, quibus acce-  
ptum ferre debeant id quantumcunq; est  
quod didicerunt.

Nec ego interea recito quām varijs con-  
tumelijs nos adficiant, vt suspendant naso,  
posticis sannis petant, si quid moneamus.  
Videte quæso quām misera conditio nostra  
sit. In eam ætatem beneficia nostra collo-  
cantur, quæ nondum benefacta intelligit,  
rantum abest, vt mutuo amore nos comple-  
cti, aut gratiam habere pro nostris officijs  
queat. Sic pereunt nobis beneficia nostra  
magis quam ullis mortalibus. Nam etiam  
cùm senuere discipuli, quia beneficij me-

moria non solet esse diuturna , nemo iam  
præceptorum meminit . quidam etiam ma-  
lam gratiam reddunt , vt Nero fecit .

Neq; puerorum parentes pluris nos faci-  
unt quam ipsi pueri . Non expendunt depo-  
sitam à se liberorum curam nobis imposuisse .  
Tota enim regendi docendiq; pueri prouin-  
cia nobis tradita est , plena sollicitudinibus  
& periculorum . Ipsi domi suæ securè suum  
negocium agunt . Et iam cum mercedu-  
lam dederint , vt exprobant nobis suum be-  
neficium ? Si quid restè fecit filius , nihil lau-  
dis adscribitur præceptor . Si quid pecca-  
uit , accusatur præceptor . Diogenes cum a-  
dolescentis gestum in edendo reprehensurus  
esset , paedagogo impegit colaphum . Sic isti ,  
quicquid peccant liberi , transferunt culpam  
in præceptores . Talis gratia nobis pro sum-  
mis laboribus & curis redditur . Si quis hue  
conferat omnia vitæ genera , inueniet in  
nullo tantum calamitatum quantum in no-  
stro , planeq; affirmare ausim , nos omnium  
mortaliū longe ærumnosissimos esse , qui  
cum summos labores obeamus , in summa  
tamen inopia vitam ægre traducimus , & in-  
terim nullo non contumeliæ genere adfici-  
mur à discipulis , ab illorum parentibus , de-  
nique

niq; ab his , de quibus præclarè meremur.  
Neq; quisquam opinor vestrum est tam fer-  
reo pectori, quin si hæc consideret, vehemé-  
ter misericordia nostri commoueatur. Su-  
persunt autem multò plura mala , sed ego  
defessus sum hac commemoratione, & tem-  
pus vetat prolixiorem esse orationem.

Itaq; vt finiam, sunt mihi in hoc extremo  
actu discipuli nostri commonefaciendi , vt  
quoniam audierunt sua vitia accusari, igna-  
uiam , contemptum literarum, amorem vo-  
luptatum atq; ocij, ingratitudinem : admo-  
niti à nobis dent operam vt hæc emendent.  
ita & nobis minuetur labor noster , & ipsi  
domum summa cum laude redibunt, & ad-  
ferent egregium instrumentum rei familia-  
ris conseruandæ, dignitatis comparandæ, et  
Reipublicæ gerendæ. Nam cùm vacui do-  
mum redeunt, quid accidit ? quia nihil di-  
dicerunt, nullius usus sunt in Republica,  
domiq; cum summa ignominia viuunt.  
Deinde quia in ocio multa vitia contraxere,  
ea hærent in illis , potant, amant, latroci-  
nantur , vt publicum odium urbis fiant.  
Exitus autem his moribus respondet , alij  
inter pocula occiduntur , alij suas fortunas  
in alea perdunt, alios perdidere amores.

Possem

Possem infinita exempla recitare, si sineret  
tempus. Sic enim Deus poenam sumit de  
his, qui primum Deo autore adhibiti ad  
discendum, non faciunt suum officium.  
Nam quod parentes iussere, id Deus tanq;  
sua iussa fieri voluit. Deinde malam gra-  
tiam bene meritis præceptoribus reddunt.  
Noli enim putare ullum esse scelus, quod  
perinde offendat Deum, atq; ingratitudo:  
sic enim scripturn est, fore ut non recedat  
malum à domo ingrati. Quantum autem  
Doctoribus debeatur, tum inde existimari  
potest, quod in vicem parentum succedunt,  
& illorum affectus erga pueros induunt,  
tam etiam Paulus commonet, cum ait, Du-  
plici honore dignos esse Doctores. Proin-  
de, si cupitis ut fortunet vobis Deus vniuer-  
sum vitae vestrae cursum, date operam, ut vi-  
cissim ea præstetis, quæ ille à vobis exigit, ut  
gnauiter obeatis prouinciam vobis à paren-  
tibus commissam, & ut præceptores vestros  
amanter complectamini, & religiosè co-  
latis, ut & nostra studia & nostrum  
amorem erga vos augeatis, &  
mala nostra, vestra com-  
moditate mitigetis.

D I X I.






54

4447



niq; ab his , de quibus pra-  
Neq; quisquam opinor ves-  
reo pectori, quin si hæc con-  
ter misericordia nostri con-  
persunt autem multò plura  
defessus sum hac commemo-  
pus vetat prolixorem esse

Itaq; vt finiam, sunt mihi  
actu discipuli nostri commi-  
quoniam audierunt sua vita-  
uiam , contemptum literarum  
luptatum atq; ocij, ingratiti-  
niti à nobis dent operam ve-  
ita & nobis minuetur labo-  
domum summa cum laude  
ferent egregium instrumen-  
ris conseruandæ, dignitatis  
Reipublicæ gerendæ. Na-  
mum redeunt, quid accidit  
dicerunt, nullius usus sun-  
domiq; cum summa igne.  
Deinde quia in ocio multa  
ea hærent in illis , potent,  
nantur , vt publicum odi  
Exitus autem his moribus  
inter pocula occiduntur, a  
int'alea perdunt, alios pe-



the scale to